



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sacerdos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

UNDE BRUTORUM CULTUS APUD ÆGYPTIOS. CAP. VII.

Vedius à
Cicerone
cur repre-
henfus.

Meminit
Q. Curtius.

Ali vero colique animalia, quæ rationis expertia dictamus, sunt qui ab Ifide tradant institutum, quæ honorem hunc conjugii, eidemque fratri Osiridi præstandum induxerit, magna agrorum, parte sacrificiis adjudicata: moremque fuisse initio, ut quæ quisque vellet animalia in hunc usum aleret, quibus vita functis, tamquam Osiris occubisset, luctum instaurabant. Cæterum postea delectum habitum, & Cynocephalo in primis honorem attributum propter excellentem quandam, ut rerum periti asserunt animalis istius naturam humano propemodum generi proximam: ut vero profani putant, quippe qui rerum historias ex vulgo mutantur, factum ajunt, propterea quod Osiris hujusmodi Satyrorum genere sit plurimum delectatus, ut nostro etiam tempore vanissimi plerique faciunt. At Romanis etiam id nequitæ genus in usu fuit. Quare nebulonem Vedium luxuriæ carpit Cicero, quod sibi obviam factus cum duobus essedis & rheda equis juncta & leccica, quodq; in essedo haberet Cynocephalum, neq; deessent etiam Onagri: quare nunquam hominem nequiorum autumat se vidisse. Quin vero & Satyros appellatos constat. Magna horum vis in subfolanis Indorum montibus, quæ Cartadulorum dicitur regio, humana propemodum effigie, tamq; quadrupes quam recte currentes, tantæ pernicitatis incursu, ut propter velocitatem non nisi fenes aut ægri capiantur. Atque hinc ridiculum illud Alexandri Magni militibus obvenit, qui loco quodam per Indiam facientes iter, Cercopithecus adeo multos insignique magnitudine conspicati, qui ad exercitus similitudinem, quem inferne sub signis progredi observabant, ordines & ipsi servare videbantur, in eos velut in hostes montium juga insidentes impetum fecerent, sui que erroris admoniti à locorum peritis, non sine rubore arma inhibuerunt.

SACERDOS. CAP. VIII.

Carnium
abstinentia

Sed ut ad hieroglyphica redeamus, sacerdotem etiam hieroglyphice per Cynocephalum Ægyptii significabant, propterea quod ajunt animal id neque pisce, neque pane ex piscibus confecto vesci, quali Oritæ plurimum utuntur. Indorum ea gens, qui nullum alium cibum novere, quos unguibus dissectos sole torrent, atque inde panem ex his faciunt, ut Clytarchus memoriæ prodidit. Vefuti tres apud Babylonios familiæ olim fuere, quæ nullo alio cibo vivebant, quam piscibus arefactis & pistillo tuis, ac demum in offas coactis, veluti pane: cujusmodi religio in Christianæ quoque pietatis collegia quædam emanavit, quæ perpetuam carniæ abstinentiam sibi constituerunt, quod tamen apud eos honestiori de causa & longe majoribus argumentis institutum. Externi tamen sacerdotes & pisce, & hujusmodi etiam pane vescebantur, quo Ægyptii tantum abstinebant, piscemque hi demum omnem, ut Commentario suo dictum, religiose admodum abhorrebant, ea que potissimum de causa, tanto Cynocephalum cultu prosequerantur, in quo suæ religionis timorem observarent.



CIRCUMCISIO. CAP. IX.

Circumci-
sionis Ægy-
ptiorum an-
tiquus mos.

Cumque circumcisionis ritum Ægyptii suscepissent, animadvertissentque Canicipites hos circumcisos nasci, rati, non temere sed divinitus ei animantium generi id obtigisse, majore eos habere venerationi, unam eandemque cognationem cum illis omnino profitentes. Circumcidere vero antiquissimum fuisse Ægyptiorum institutum, ab eisque ritum sumpsisse Judæos, Diodorus fabulatur, quem secuti scriptores quidam alii, proprium hoc, & vetus Ægyptiorum arbitrati sunt, quem morem Colchi, ut pote Ægyptiorum coloni, neque non Hebræi apud eos educati, postea tenuerint. Sed eorum hæc est fabula, qui Divinarum literarum historiam tam longa annorum serie apud populos nationesque omnes receptam, obscure conati sunt, cui tamen & Strabo & Corne-
lius